QVINQVE
PRAEDICABILIA
LOGICOPOETICA.

QVIBVS PRIMAM PHILOSOPHIAE LAVREAM AB ALMA SOCIETIS IESV OLOMVCENSI ACADEMIA Decretam Nobilibus ac Eruditis D.D.

D. CONRADO HETZER ab Auroch Nob: Mora:
D. Fr: MICHAELI BENKOVICZ Sclauo Ord: S. Pauli primi Eremitæ relligioso.
D. GEORGIO GVSKY Borusso S.D.N. alumno.
D. PETRO ALPHÆO Noruego S.D.N. alumno.
D. NICOLAO HRVBSKY Morauo, Illustr: Card: ac Episcopi Olom: alumno.
D. IOACHIMO STEPINO Marchico S.D.N. alum:

PRAEDICAT
ac
gratulatur

NOBILIS ET GENEROSVS
MARCIANVS STRZESKOVVSKY POLONVS
in eadem Academia Oratoriæ Studiosus, B. M. V. Visitantis, Sodalibus, Sodalis, Conuictoribus, Conuictor Conuictus & Sodalitatis ergò.

OLOMVCII, Typis Georgij Handelij.
ANNO: M. DC. V.

NVNCVPATORIVM.

Ne pariant prima ô iuuenes fastidia fronte
Nomina de logicis fontibus hausta velim
Nomina sunt logices, sed verba poetica, sed res
Vestra: potest vestrum non placuisse decus?



ANTEPRÆDICABILE.

NOBILI AC GENEROSO
D. CONRADO HETSER
AB AVROCH Morauo.

Hendecaſyllabum.

SIc fratres ſine fratre; ſic ſodales
Collegâ ſine ſeſe ouationi
Accingent? vbi charitas, amorq́; ?
Sin vos iſta mouent; ouemus vnà.
Fratrum gratia rarâ; ſed colenda.
Et nos ibimus. ibimus. ſequemur.
Quin mox auſpice gratulante Muſâ
Præcedemus eos præibimuſq́;.
An fors præripiemus his triumphos;
Lauros, & titulos & hos honores?
Abſit, nec Sophiæ Triumuiratus
Decernit ſua dona (dico laurus)

Ni juſtos meritò labor crearit:
Dignos Lydius aut lapis probarit.
Nobis linea prima nota necdum
Huius curriculi: & tenenda meta
Si jam jam foret iſta Marciano;
Iſtam cederet iſte Marcianus
Conuictoribus his ſodalibuſq;.
Et quod pro Eurialo patrauit vno
Niſus, pro ſocijſq; fratribusq;
(Fratrum gratia tanta) Marcianus
Vel lapſu proprio patrare vellet.
Ergo nec ſequimur nec hos præimus?
Eſt & qua præeamus & ſequamur.
Vt tibicine præcinente ponè
Princeps ſubſequitur, vel imperator,
Sicut lampade præferente lumen:
Sic nos ibimus antè præcinendo
Et veſtras celebrando voce laurus,
Et veſtras decorando luce laurus.
Sic nos creditis ire, ſic præire?
Sed cur non ita vos canens præirem;
Et de Pierio meo calore,

Et de

Et de Pierio meo liquore
Vestram non recreem rigemq; laurum?
Sic cantu recreabo, sic rigabo.
Vt se perpetuo propaget æuo
Hoc, hoc nomine vota mitto Phæbo:
Si nostras sinat interire laurus;
At vestras faciat virere laurus.

(:)

GENVS.

REVERENDO AC ERUDITO
D. Fr: MICHAELI BENKOVVICZ, SCLAVO
Ord: S. Pauli Pr: Eremitæ.

IONICVM MONOCOLON

MEruisti, petijsti, obtinuisti
Titulum, Laureolam, Nomen, Honorem.
Age Virtus, age lætare, triumpha,
Age rursus repetas pristina templa
Tibi quondam sapienter data Romæ:

Vbi delubra & honori & tibi Virtus
Propè communia tradunt posita esse:
Tamen vt vestibulum & limen honoris
Coleret Diua, nec ulli gradus vnquam
Ad honorem foret vllus, nisi primùm
Sua libamina libasset & isti;
Nec honos premia donaret alumnis,
Nisi præjudicium Diua dedisset.
Petitis ciuica pro ciue redempto;
Male ciues petitis quernea serta
Nisi Virtus spoliet termite quercum
Spolium & pollice plectens det honori
Tribuendum. penetrasti hostica castra,
Inimicos prior inuadere muros,
Inimicas prior inuadere puppes,
Generosè, benè, feliciter, ausus:
Sine vallo, sine pinnis, sine rostris.
Tibi digno dabitur curta corona;
Nisi vallum, nisi pinnas, nisi rostra.
Generoso locet in vertice Virtus.
Meruisti obsidionalem animosè
Opus, vt gramina Virtus legat vna:

Alioqui nec ad auras Zephyrorum;
Nec ad afflatum auidum Chloridis almæ
Pariet terra tuis gramina ſertis.
Petitis ſerta triumphalia cæſis
Inimicis; prius hæc luxuriantes
Ad Olympi juga lauros populetur.
Petet hæc munera; Phœbus dabit ultrò,
Petet alter, vel honoris titulo vel
Alio nomine, erit ſurdus Apollo,
Erit hic Harpocrates, atq; petentem
Malè dimittet inanem, niſi furto
Redeundo, properando, fugiendo,
Tacitus furcifer hinc manticuletur
Aliquot decrepitæ ſegmina lauri
Alienoq́; Deo pilea furtim
Sibi cudat. Tibi non ſic, ſocijſq́;,
Quibus ipſiſsima Virtus ſtudiumq́;
Merito vindice deſpondit honorem:
Nec amico mage Phœbo, nec amicâ
Mage Diuâ Sophiâ, contigit vllus
Penetrale hoc ſacrum honoris pede, quam vos
Adijſtis, celebraſtis, penetraſtis.

SPECIES.

AD D. GEORGIUM GUSKY BORUSSUM S.D.N.A.

ANACREONTICA.

O Pulchra, pulchra Daphne
Nouo virore vernes,
Niteas nouo nitore
Borussus ille noster,
Lauri ille candidatus,
Et laureæ corollæ,
Te nunc procatur vnam.
Modo termitem tenellum
Decerpat in corollam,
Contentus hinc amicè

Discedet

Diſcedet atq; blandè;
Age dicet ille, Daphne,
Age laurus inter omnes
Effloreas ſorores.
Age prima Nymphularum,
Age ſis comes Dearum;
Tuus ille ſic Apollo,
Te deperire pergat.
Amet, colat, procetur.
Sic te ille ſic fluentis
Niueiſq; limpidiſq;
Peneijs fluentis
Alat, educet, rigetq;.
Tibi Nympha blandiatur
Virideſq; dente pectat.
Virides comas eburno.

Sic nullus ex proteruis
Satyrisuę ſemicapris
Faunisuę te fatiget.
Parnaſsium ſed uſq;
Sic incolas cacumen;
Niſi fortè te receptam
Locet inter aſtra Phœbus.
Quin verò jure Daphnen
Locet inter aſtra Phœbus:
Si Gnoſsium monile
Locat inter aſtra Bacchus?
Quando iſta, quando plura
Meliora, lætiora
Daphne audies precantem
Nunquidne pænitebit
Dediſſe te corollam;

Tam candido atq; grato
Aglaies alumno,
Sophiæq; candidato?
Scio pænitebit illud,
Illud pudebit unum
Meliora non dedisse
Nec pulchriora serta.
Tam gratus ille dices,
De fronde viliori
Fueratnè laureandus?
Sed macte Diua, macte
Vertente forsan anno
Redibit ille noster:
Tunc Diua des corollam
De lætiore ramo
Culpam elues priorem.

DIFFERENTIA.

ERVDITO AC INGENVO D. PETRO ALPHAEO NORVEGO, S. D. N. alumno.

TRICOLOS TETRASTROPHOS.

OStentet alter juſta monilia,
Haſtasq́; puras, torquibus additis:
Oſtentet armillas, coruſco
Conſpicuas phaleras & auro.
Opima lætus dedicet ardua
Derepta ſummo militiæ duci:
Feretrioq́; det Tonanti
Fortè tribus ſoluënda bobus.
Tarpæa rupes hunc videat caput
Lauro micantem legitimâ, hoſtibus
Fuſis, fugatis, interemptis,
Auſpicio meliore victis.

Romanus

Romanus iſthæc; & ſua Græculus
Trophæa jactet lignea & ænea,
Et Græciæ contra receptos
De lapide edificata mores.
Athleta oliuas jactet Olympicas,
Et clara laurus germina Delphicæ,
Iſtmiq; pinu glorietur,
Et Nemeææ apio coronæ.
Me ſerta Phæbi laurigeri mouent,
Et præter omnes vnica laureas
Hæc laurus arridet, Sophiæ
Quæ nitidis ſoboleſcit hortis.
Hæc vna belli non timet aleam,
Non miſſa cælo fulmina, non faces,
Non arma, non pauet Tyrannos
Inuidiam medio vrget vngue.
Hæc vna ſecum certa periculi
Teſtis Bias eſt) omnia fert ſua,
Hæc, cymba quamuis naufragetur
Enatat incolumis ſupellex.
Deſultet Eurus, flent aquilonibus
Noti irruentes, grex Hyadum exeat,

Naſcatur Orion, manebit
Deliaci inviolata laurus
Hæc ſunto veſtræ præmia laureæ
Quos in Sophiæ curriculo dies
Probauit, hora, menſis, annus,
Indecores minimè eſſe lauro.
Hiems minetur frigore, & imbribus
Autumnus, æſtas æſtibus; hunc & has
Ridet minantes veſtra laurus
Atq; minas vacuas remittit.
Non ſic & illæ quæ ſenio labant,
AEtate marcent palmulæ olympicæ,
Trophæa ſubſidunt & arcus
Degeneres ſubeunt ruinas.
At dum Sophiæ ſtabit honos ſuus,
Dum digna ſtabit gloria literis,
Laus veſtra ſemper eniteſcet
Damna mali & ſuperabit æui.

PROPRIVM.

JNGENVO AC ERVDITO D. NICOLAO HRVBSKY MORAVO, *Illustrissimi Cardi: alumno.*

PHALEVCIVM.

ET non exulet omnis hinc veternus?
ET quiſquam juuenum litet Vacunæ?
Et non Murcia ſit valere juſſa?
Nondum Strenua ſit domum reducta?
Inſudans ſtudiis phalanx honeſtis,
Et pro Marte ſuam colens Mineruam
Ex imis penetralibus Sophiæ
Prodit laurigerâ revincta vittâ:
Laurus vertice vibrat atq; dextrâ;
Lauro dextra viret viretq́; vertex.
Et nos non Sophiæ flagramus œſtro?
Mentes degeneres adhuc fouemus?
Laurum ſi gelidi darent triones,

Si ſe-

Si ſeptemgemini fluenta Nili,
Si teſqua Heſperiæ remota Thules,
Si quæ ſol oriens videt cadensq́; :
Eſſet vel gelidâ petenda ab Arcto
Et de Niliacis ferenda ripis,
De Thule rapienda inhoſpitali.
Sed non hic ſuperandus eſt Olympus
Cujus nubibus imminet cacumen,
Non Parnaſsia non terenda rupes,
Non Phocis penetranda, non Athenæ.
En noſtris ſoboleſcit illa in hortis,
Nobis naſcitur hæc domi propago.
Et decerpere termitem pigebit?
Et lætâ caput impedire lauro?
Tu ne docta juuenta blandientem
Laurum temne; decet comas Deorum
Intonſum decet illa ſola Phœbum
O faſtidia! nauſeas ineptas!
Laurum ſpernere; ſegregare laurum!
Non aptare manus, caput, capillos,
Captandæ, ſubeundæ, & induendæ
Inuitanti, adeunti, & ambienti?

Vos

Vos agmen socium nouâ coronâ
Vinctum, laureolis micansq; baccis
Inuitat similes sequi labores:
Quos possint similes sequi triumphi.
Iusta est credite: justa Diua Pallas:
Post pugnam sua da suis trophæa.

ACCIDENS.

ERVDITO DOMINO JOACHIMO
STEPINO MARCHICO, S. D. N. A.
ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.

AN quia nam ver vario prata colore pingit;
An quia nam terra suas diuitias profundit
Mensem hunc indigitarunt
Aprilem?
Scilicet hic vitam aperit floribus atq; sertis,
Nunc hyemis, nunc Boreæ spicula mitiora,
Nunc adnauigat aura
Fauonij.

Nunc violæ prosiliunt illiciuntq́ dextras,
Nunc oculos captat adulando nitore primo
Chloris, munere dives
Mariti.
Nunc gravidis parturit arbos onerata gemmis,
Nunc Bromii vitigenæ, Palladiæq́ baccæ
Et spe & germine multo
Tumescunt.
Quid ni etiam luxuriet, pullulet atq; vernet
Vere novo, fronde nova, dote novi viroris
Laurus nata notandis
Triumphis!
Imo viret, luxuriat, pullulat atq; vernat,
Proq; suis irriguis proq; suis apricis
Frontem lambere gestit
Juventæ.
Ergo fugæ præcipitis dememinisse Daphnen!
Ergo sinus Deliaci spernere velle Phœbi,
Ut serpat juvenili
In ore!

Mente cares nunc reliqua forte velut sorores:
Anne etiam tunc caruisti ratione Phœbum
Cum auersata prementem e-
uolasti!
Sed scio tunc mente vigens atq; valens fuisti,
Brachia cum diffugiens atq; sinus eburnos
Sacro in vertice sedem
Tulisti.
Nunc quoq; nec mente minor nec ratione Daphne es
Cum Sophiæ fronte sacra teq; tuasq; pangis
Baccas, lætior ut mox
Virescas.
Perge virens, Aeolius sic tibi nemo turbo
Officiat, plenior ut pulchrior atq; nobis
Vertumno redeunte
Reuertas.